



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Legatum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10421**

## LITIS CONTESTATIO.

PRIMO, litis contestatio est necessaria tam in criminalibus quam in civilibus, *c. unico, de litis contest. gl. in c. dudum, il. 2. de elect. in ver. responsione.*

Secundo, an sit necessaria in appellatione ab interlocutoria, vel diffinitiva, vide Covar, *in c. Raynaldus, §. 2. numero 1. de testam. & Maran. in tit. de lit. contest.*

Tertio, an iudex possit cogere actorem, vel reum ad litem contestandam, & an sub pœnis, & an possit absque ea procedere ad ulteriora, vide Maran. *loc. cit. num. 4.* si litem non fuerit contestata, corruit totum beneficium causæ, & potest dici de nullitate, quia vocatur lapis angularis totius causæ, *Doct. citati.*

Quarto, quando non requiritur litis contestatio, etiam de jure Canonico, vide Host. *in Sum. tit. de offi. iudicis, §. 3. utrum desideret, nu. 2.*

Quinto, quomodo fiat litis contestatio in civilibus, & criminalibus? Respondetur, quod in civilibus fit per affirmationem, vel per negationem collitigantium: in criminalibus, quando iudex interrogat, & reus respondet negando, vel affirmando, & talis interrogatio, & responsio inducit litis contestationem.

Sexto, an in criminalibus sit necessaria litis contestatio? Respondetur quod sic, *Abb. in c. cum dilectus, nu. 3. de purgat. Canon.* Ubi dicit, quod si proceditur ex officio non, si ad instantiam partis sic, *Clar. q. 4 §. versic. in primis,* ubi habes,

quod si reus est contumax, non est necessaria, sed condemnatur in absentiam, si est præsens, requiritur, etiam absque præsentia partis, nec est necessaria, si proceditur per viam denunciationis, *Foller. c. 10. num. 17.*

Septimo, an sint necessaria verba expressè ad litis contestationem? Respondetur ultra prædicta, quod pro practica sic proceditur, examinato reo, iudex ipso reo audiente, & præsente potest dicere hæc verba, & hæc omnia dixit animo contestandi litem, vide Mar. *de lite contest. n. 12.*

## LEGATUM.

## SUMMARIUM.

- 1 Anteneatur quis solvere legata ad dilectum unius, qui asserit patrem ipsius heredem, vel legatarii id sibi dixisse, antequam moreretur.
- 2 An legatum ad unum usum, possit Episcopus mutare in alium.
- 3 Utrum debeatur quarta legatorum Episcopo, & Parocho.
- 4 Si pater legat filia mille, ut fiat uxor, vel ut contrahat matrimonium, si fiat deinde monialis, an ea mille sibi debeantur.
- 5 Utrum filius, cui pater, vel quispiam legavit ut doctoretur, si non adimplet, & delinquit, possit illud habere, quod sibi legatum fuit.
- 6 An hæres teneatur solvere ultra vires hereditatis patris.
- 7 An uxor cui maritus legavit aliquid, si servaverit lectum vidualem, vel casto vivo



vixerit, & postea fornicetur, possit illud sibi retinere, & si nubat infra annum, perdat sibi à marito legata.

8 An locorum Ordinarii possint exigere quartam mobilium decedentium ab intestato.

9 Quid facere debeat Episcopus circa legata pia, ut solvantur, & exequantur.

10 Quot testes requirantur de iure Canonico.

11 An Episcopus possit compellere heredem ad executionem legatorum, & quis Episcopus, & hoc etiam pertineat ad iudicem secularem, & detur locus preventionis.

12 An legata in testamento minus solenni debeantur.

13 Legatum relictum alicui Ecclesie, an Prælati repudiare possit sine solemnitatibus à iure requisitis.

14 Legatum factum pro maritandis puellis, an possit permitti pro maritandis eisdem.

15 Legata quis solvere debeat, proprietarius, an usufructuarius.

**A**D Primum, videtur quod non, Sylvest. in ver. hereditas. 3. num. 6. §. 7. Navar. c. 17. num. 117. notab. 14. Sylvest. in ver. Legatum, 4. nu. 6. §. 9. c. relatum, de testam. il. i. c. cum esses, eo tit. D. Ant. 3. par. tit. 10. c. 4. §. 8. in princ. Soto lib. 4. que. 4. art. 3. de iust. & iure, Astens. lib. 3. tit. 3. art. 1. q. 3. Armil. in ver. legatum, num. 51. Covar. in d. cap. cum esses per totum, ubi plus adstringit, quam cæteri Doct. tamen negativè respondetur, nisi constaret ipsi hæredi de voluntate defuncti, prout Sylvest. in ver. testis, §. 5. dicto 6. & Panor.

in c. in nomine, de testib. & Doct. citati hoc etiam admittunt, facit quod dicit Gom. questio. 6. r. column. 5. de irien. poss. quod exactu etiam nullo colligitur, & declaratur mens, & voluntas disponentis, l. fin. ff. de iure codic. vide Boer. decis. 14. num. 14. quando sufficiunt duo testes in testamento; hoc fallit in legato ad pias causas, ubi statur juramento Curati, vel Sacerdotis, petentis legatum pro Missis celebrandis, & quando agitur de modica expensa, Guid. Pap. q. 589. & Bald. in Marg. Inn. in ver. testator, q. 1. dicit, quod legatum ad pias causas valet, etiam si dispositio sit captatoria, Barr. & Cyn. in l. captatorias, C. de testam. milit. Navar. cons. 1. de testam. & consil. 6. & 16.

Ad secundum, videtur quod non, Clemen. Quid contingit, de relig. domib. ubi habetur, hoc non posse sine auctoritate sedis Apostolicæ, Staph. de lit. grat. fol. 362. num. 15. dicit, quod hoc est de casibus reservatis Papæ, Covar. in cap. tua, de testam. num. 7. clamat hoc non posse, nisi à summo Pontif. Guid. Pap. questio. 559. dicit non posse Episcopum, & ita fuit decisum in facto, licet quidam contrarium tenuerint, Gemin. in c. si Abbatem. vers. secundo dicit, de elect. lib. 6. Conclusivè quidquid sit, dico posse Episcopum, pecuniam à testatore in certum utrum piium non ita necessarium destinatum dispensare, expendi in alium itidem usum piium magis necessarium, cui necessitati aliunde subveniri nequeat absque maxima difficultate. text. est in l. pen. ff. de operib. public. Covar. loco citato, in fine. Selva tract. de benef. 1. par. questio. 6. num. 12. vers. Sylvest. in ver. legatum, 4.



numero 12. Tabten. in ver. legatum, 2. num. 2. & infra, ut si quis legat alicui Ecclesie calicem, quo ipsa non indiget, sed caret planeta, seu casula, quæ fieri non potest ob tenuitatem reddituum, tunc poterit Episcopus pecuniam, relictam pro calice convertere in casulam faciendam, nec ad hoc opus est consensu hæredis, Gom. in qu. 92. de trien. possess. dicit requiri consensu hæredis, sed hoc intellige, quando non possit adimpleri de jure, & de facto, ut Sylvest. loc. citat. ad Clement. & Steph. respondetur, quod illud intelligitur quando non adest causa necessaria, ita Doct. superius allegati, vide Abb. in cap. nos quidem, de test. & in d. Clem. Quia contingit, & Innoc. in dict. capitul. nos quidem, & quando legata relicta pauperibus possint dari filio spurio testatoris, vide Boer. decis. 127. numer. 14. & 15. imò hoc potest facere executor suis consanguineis pauperibus, Abb. in cap. 1. numer. 5. de cohab. cler. & mul. sed Cap. Tolos. quest. 26. dicit, quod non potest mutari legatum factum per aliquem testatorem, videlicet, ut certum bladum annuatim ob amorem Christi in panem coctum daretur pauperibus, & Episcopus dedit prædictum legatum uni presbytero pro Missis celebrandis, & quod hoc non potuit facere Episcopus, patet per cap. nos quidem de testam. & per allegata, à nobis hic, imò nec si relinqueretur multis pauperibus, posset executor illud dare uni pauperi (sed pluribus) & potest dare suis filiis, si sunt pauperes, addit. ad Cap. Tolos. in q. 128. Et similiter quando legaretur fieri aliquid quod non potest fieri, prout

testator disposuit, Gemin. in c. gratia, ver. nota bonam istam gl. de reser. lib. 6.

Ad tertium, prima conclusio est, quod de omnibus legatis, & relictis Ecclesiis existentibus in sua diocesi, competit quarta pars Episcopo, c. requisisti, c. officii, de testam. Sylvest. in ver. canonica portio, §. 4. & hanc quartam partem Episcopo solvere debet Ecclesia, seu locus pius, cui legatum fuit, non ipse hæres, Covar. in d. c. officii, n. 1. circa ult.

Secunda conclusio, hoc fallit in casibus exceptis, in c. si eod. tit. & Sylv. loc. cit. Tertia conclusio, etiam in casibus exceptis, in d. c. si. debetur quarta parochiali Ecclesie, Clem. dudum, de sepul. §. verum, ubi quoad quartam debitam parochiis, derogatur casibus expressis in d. c. si. Covar. in d. c. si. n. 6. ver. 3. Quarta conclusio, Conc. Trid. sess. 25. de reform. decernit, quod si dicta quarta tam Episcopalis, quam Parochialis fuerit concessa jam ante 40. annos aliis Monast. & quibuscunque locis piis, ex quocunque privilegio, quod de cætero solvatur cathedrali, seu cathedrali Ecclesie pleno jure, nõ obstantibus, &c. & hoc, etiam si alibi sepeliantur, declarat. Card. sac. Congr. 245. & hoc ampliatur, etiam si legatus aliquid legasset Ecclesie parochiali, quia non compensatur idem cum quarta debita, quin etiam ea debeatur, Covar. in d. c. officii, num. 6.

Quinta conclusio, ista quarta portio non est determinata quoad quotam, sed statuit consuetudinibus locorum, c. certificar. de sepul. & cessante consuetudine, erit ista Quarta de jure ordinario solvendo Episcopo, seu parochiali. Covar. loc.



*loc. cit. nu. 1.* Sexta conclusio, circa illos casus notat os *in d. c. fi.* solum eximuntur Monachi mendicantes, i. soli ipsi non tenentur solvere Episcopo canonicam portionem, siue quartam legatorum, & hoc intelligitur de legatis ab his, qui apud eos elegerunt sepulturam, Covarr. *loc. citato numero sexto.* Abblin *d. capit. fi. col. fin.*

Septima conclusio, consuetudine & moribus hodie introductum est, ut Monachi teneantur solvere Ecclesie parochiali solum quartam ex his, quae offeruntur eo tempore, quo funus, aut exequiae defunctorum celebrantur, Card. *in d. Clem.* Covarr. *ubi supra.* Octava conclusio, in his standum est consuetudinibus, Covarr. *loc. cit.* vide Cappyc. *decis. 23.* ubi dicit, quando debeat ista quarta legatorum. Nota conclusio, ista canonica portio, tam Episcopalis, quam parochialis non solum debetur, ubi consuetudo est de candelis, sed de omnibus obvientibus Ecclesie sepulturae, Abb. *in cap. re-latum numero secundo de sepult.* Innoc. *in cap. 1. numero quarto, & quinto, de statu Monach.* Tabien *in ver. canonica portio, §. 9. & 2.*

Decima conclusio, cavere debent locorum Ordinarii, per praetextum quod ipsi inceperint exigere hanc quartam, intendant introducere consuetudinem, arbitantes per unum, vel duos actus introduci consuetudinem, ut Sylvest. *in ver. consuetudo, n. 6. ver. 3.* Covarr. *pract. q. c. 14. n. 2.* sed requiruntur requisiti ad consuetudinem induendam, Sylvest. *loc. cit. gloss. in c. cum in tua, ver.*

*consuetudo, de consuet. lib. 6. Cov. lib. 1. ver. resol. cap. 17. n. 8. & 10. decis. Rot. 2. de prob. in noviss. ubi dicit sufficere 10. annor. spatium ad introducendam consuetudinem, quae introducta est secundum jus commune, dec. 6. de consuetud. in noviss. & Addit. ad decis. 2. sed ista consuetudo est secundum jus commune d. ca. officii, & Clem. citata, ergo sufficeret spatium 10. annor. & hoc etiam valet in exactione decimarum, Cov. loc. cit. Gom. *in c. 2. §. statuto, n. 7. de consuet. lib. 6.* dixi hoc non licere locorum Ordinariis, quia hoc esset innovari, & non uti consuetudine, arg. Conc. Trid. *sess. 14. c. 14. de refor. Nav. 23. n. 101.* & quae dixi *in ver. beneficium, §. 6. dicto §. dubio 1.* ratio est, quia quisque posset de facto facere aliquid bis, vel ter, & quia subditi timent contradicere, tacent, & ille postea veller allegare consuetudinem, quod abhorrent sacri Canones, *c. fi. de consuet. Gom. in c. 1. n. 9. in fi. de constit. l. 6.* Faciunt notata per Soto *lib. 1. q. 7. art. 2. de iust. & jur.* ubi dicit, quod si vasalli urbanitatis causa, vel benevolentia domino afferunt aliqua munuscula, statim urbanitas rapitur in consuetudinem, & benevolentia in debitum, facit Hippol. *in sing. 192. Doct. in c. pervenit, de cens. c. si Episcopus, 16. q. 3. Sylvest. in ver. sepultura, n. 2. ver. notat idem, in fi. Bar. in l. cum de in rem verso. ff. de usur.* sed non inconvenit, ut quae olim fuerunt munera, potuerint consuetudine transire in debita, Navar. *conf. 4. juxta finem de cens. & Addit. ad Cap. Tolos. q. 214. dicit ex Summa Ang. in ver. testament. §. 14. quod fratres Praedicatorum, & Minores sunt excepti ab onere solvendi di-**



di dictam quartam, tamen est attendenda consuetudo, & vide practicam ibi positam circa solutionem dictæ quartæ, utrum ab hæredibus, vel à fratribus Mendicantibus, sive aliis quibus factum est legatum, in *Addit. q. 213.*

Undecima conclusio: Quarta parochialis non debetur, nisi de his, quæ obveniunt ratione funeris, & de legatis omnibus factis Ecclesiæ, apud quam defunctus elegit sepulturam, si ergò legat Ecclesiæ, in qua ille non elegit sepulturam, ne c. sepelitur in ea, non debetur dicta quarta parochiæ, *glot. in capitu. 1. & in c. certificari, de sepul. Addit. ad Capel, Tolos. q. 212.*

Ad quartum, Panor. & Fel. *in c. in presentia, de prob.* dicit quod sic, & idem si relictum esset causa donationis propter nuptias, *Sylv. in verbo hereditas, 3. n. 10. §. 8. & 9. ver. 4. num. 12. ver. sextum.* idem etiam si adderetur conditio, ut si matrimonium contrahat, relinquo centum, & si Monasterium ingrediatur, quinquaginta, quia tunc etiam debet recipere centum, & ratio est, quia conditio impeditiva matrimonii spiritualis, vel Religionis ingressum, habetur pro non adjecta, sicuti illa, quæ impedit matrimonium carnale, *l. cum tale. ff. de cond. & dem. l. 2. C. de iudi. c. vidit. tol.* & idem confirmat *Sylv. in ver. Legatum, il. 1. nu. 13. §. 9.* idem videtur tenere *Covar. in c. vos quidem. à n. 2. usque in fi. de testament.* idem *Ang. in ver. hæres, §. 20.* & *Capyc. decis. 204.* ubi dicit, quod debetur totum, & sic fuisse decisum in facto, *Covar. lib. 2. cap. 19. num. 10.*

Ad quintum dico, quòd non potest

tuta conscientia filius vel retinere, quæ sibi legavit, vel reliquit pater, vel quispiam cum hac clausula, sed tenetur in conscientia restituere, etiam nulla expectatâ sententiâ, *Dec. cons. 177. D. Ant. 2. par. iii. 10. c. 2. §. 11.* Ratio est, quia illa non est conditio, sed quædam conventio, *Cajer. in Sum. in vers. pœna. Soto lib. 1. quæstion. 6. art. 6. de iust. & iure, Arnob. quod à quoquo. sign. 30. Cagnolus in lib. de reg. juris.*

Ad Sextum, vide *Abb. in c. tuanos, de usur. n. 6. n. 2. & in c. 1. nu. 4. de solut. Gem. in c. quanquam, de usur. lib. 6. in ver. de usura. 6. §. 10.* ubi concludit ab omnibus, quòd non tenetur ultra vires hæreditatis, & si sunt duo filii hæreditatis, tenentur pro rata, & hoc etiam si non confecerint inventarium, *Guid. Pap. quæst. 571. nu. 9.*

Ad septimum dic, ut ad quintum, *Abb. in c. quod à te, nu. 3. de cler. coniug. Arnob. loc. cit. Covar. de sponsal. 2. par. cap. 7. §. 9. num. 1. 2. & 3.* & an idem sit si relictum fuit sibi aliquid, cum conditione si castè vixerit, & illa transit ad secunda vota, *Covar. 2. p. c. 3. §. 9. n. 13.* & an idem sit, si relinquatur ab alio, quàm à marito, quoad secundam partem, videto *Boer. decis. 186.* ubi negativè tenet, si non extant liberi, vide *Vinc. de Fanç. decis. 155. n. 4.* & si incontinenter vixerit, perdit legatum sibi à marito factum, *Sylv. in ver. tutela, §. ult.* idem si ab uxore relinquatur viro cum hac conditione, quia vir tenetur illam implere. *Vinc. de Fran. decis. 174.* facit *c. gaudemus, de divort.* ubi vir & uxor ad imparia non judicantur, *Covar. loc. cit. §. 6. n. 3. & 5.*

Ad



Ad octavum, est dubium satis intricatum, quotidie practicabile, quia locorum Ordinarii cum accidit casus, ut quis moriatur intestatus, faciunt testamentum nomine defuncti, & ipsi accipiunt quartam partem mobilium, dubitatur, an hoc eis liceat, & hoc possit comprobari. In quoadiumento juris. Ad primum, sit prima conclusio, ubi est consuetudo, hoc licet, patet ex Inno. *in ca. ad Apostolicam, de simon.* & ita dicit servari in Britannia, & Venetiis; & ista consuetudo potest rationabiliter, & ex optimo zelo introduci per duos, vel tres actus, Addit. ad decisi. Rotæ. 6. nu. 7. *de consuet. in novis.* sed non de loco ad locum, *ibid. num. 6.* & Conc. diocesis. Saler. *in c. 1. de test.* ubi dicitur, sic consuevisse observari in diocesi Salernitana, idem Con. Prov. Neap. c. 45. ubi subdit, quod accedere debeat expressus legitimi hæredis cōsentus. Si verò aliquē peregrinum, vel advenam à longissimis orbis partibus, cujus proinde legitimi hæredes non sint, vel certè ignorantur, intestatum è vita migrare contigerit, tunc jus commune servatur, juxta sac. Canones, ut *c. Ioan. c. nos, c. si hæredes, ca. tua nobis, de test. Clem. quia contingit. de de relig. dom. sac. Con. Trid. sess. 22. ca. 8. de refor.* Secunda conclusio coadjuvatur hoc jure communi, doctrinis, & rationibus, primò *in d. c. si hæredes,* & ibi Covar. nu. 4. ubi dicit, posse Episc. intra quatuor, vel sex menses, vel tempus arbitrium cogere per censuras Ecclesiasticas hæredes exequi voluntatem testatoris, *l. si domus, §. in pecunia, & l. cum res, ff. de legat. 1.* & Episcopus potest condere

statutum, seu institutionem sub pœna excommunicationis contra executores negligentes, Fed. de Senis, *confi. 95. Rom. conf. 218.* Bald. *in c. ad nostram. col. 2. de jurejur. Sylvest. in ver. testamentum, 2. n. 3. per totum. sed vers. 4. & 5.* dicit, quod hoc non solum potest per censuras ecclesiasticas, sed per subtractionem emolumentorum sibi à testore relictorum, & alias pœnas arbitrarias. Facit quod notat Anch. *in c. religiosus, n. 6. de testam. lib. 6.* & Abb. *in c. si hæredes, nu. 1. & 2. de testam.* ex quibus, & aliis, quæ omittuntur brevitate causa, ego colligo tertiam conclusionem: si Episc. tantam curam debet habere, exequatur voluntas illius, qui potuit testari, quantò magis potest interpretando, exequi voluntatem illius, qui aliquo impedimento præditus non potuit condere testamentum, accedit, quod Episc. est pater, & pastor pauperum, *l. nonnulli, cum aliis, C. de Episc. & Cler.* ideo debet curare, non solum ut viuentes curam habeant animarum suarum, sed ut animabus defunctorum satis fiat. Præterea, quid facit amplius Episc. condens testamentum prædictum illius, qui absque lingua migravit è vita, quam interpretando voluntatem illius, faciens id, quod ille miser utique fecisset, si tempus ei suffecisset? Facit quod notat Anch. *in d. c. religiosus, num. 5. de test. lib. 6.* ubi dicit, quod Episcopus potest supplere defectum, & malitiam in testamentis. Bene verum est, quod cavere debeant, ne sibi aliquid illius quartæ locorum Ordinarii vendicent, vel convertant in proprios usus, nec ad amissam illam exigant, sed benigno ac paterno affectu quicquid



habere potuerint, & in suffragia pro anima defuncti expendatur, *Anch. loc. cit. n. 1.* ubi dicit, quod Episcopus mala ablata expendere in reparationem Ecclesiae, & cum hoc fecerit, non verebuntur molestari, à tribunalibus laicorum scientibus, omnia bene agi, & exequi, & ita ego praticavi in diocesi Surrentina, & Compazana, ubi dictum fuit, adesse talem consuetudinem, & vidi Archiepiscopos praeteritos hoc egisse, vide etiam pro hac materia Boet. *decis. 30. à nu. 15. & infra. & decis. 39. à nu. 25. & infra.* ubi dicit executionem testamentorum, seu legatorum, quando suffraganei essent negligentes, devolvi ad Metropolitanum, idem *decis. 38. à num. 23. & infra.* faciunt ea, quae notat Gui. Pap. 361. *nu. 1. & 2.* facit *c. 1. de off. ord.* & ibi Scribentes. Quarta conclusio, ubi non adest consuetudo, non debent aliquid innovare locorum Ordinarii, prout dixi *sup. de canonica portione conclus. 10.* vide Covar. *in cap. nos quidem, num. 7. de testam.* & ita censuit sac. Congreg. Illustris Cardinalium in facto. facit quod notat Covar. *lib. primo, c. 17. num. 3. var. resol.* & si quis dicat hoc non debere fieri, quia videtur quodammodo tyrannicum, responderetur quod ubi adest consuetudo, debet fieri, & si omitteret Praeatus hoc facere, & peccaret, & consuetudo dat jurisdictionem. Hostiens. cum Allegatis *in sum. tit. de offic. ordin. §. quis possit ver. item consuetudo & urges.* hoc non consuevit fieri ab aliis Praeatis, responderetur primò, quod fortassis ibi non adest consuetudo. Secundò, quod unus Episcopus est pinguior altero, vel per

usum, vel per praescriptionem, *c. conquisistis, 9. quest. 3.* Accedit, quod homines scientes huiusmodi Episcoporum laudabilem, & praescriptam observantiam, qui alias segniores erant ad confitendum peccata sua, sacrum suscipiendum viaticum, extremamque resumendam unctionem, ac denuo ad disponendum, & pro anima & corpore suo, erunt in posterum sollicitiores ac prudentiores ad sequendum, quae dicta sunt, dicentes intra se, cum aegrotare caeperint, si nos erimus negligentes ad haec, veniet Episcopus, & perficiet.

Ad nonum, bene consuluit circa hoc Conc. Provin. Consent. *sess. 4. cap. de leg. piis*, quod in omni curia Episcopali habeatur liber, in quo scribatur nomen Notarii conficientis testamentum, vel legatum testatoris legatarii, diei, anni, mensis, & testium, & quod debeat fieri statutum, sub poena excommunicationis latae sententiae, ut Notarii spatio unius mensis afferant particulam testamenti, facientem pro relicto alicui loco pio, soluta sibi debita mercede, & hoc est quod clamant omnes Canonici citati, faciunt ad haec omnia, quae ad hoc propositum dicit D. Tho. *quodlib. 6. 13. Adrian. quodlib. 8. Sor. 4. sent. d. 45. q. 2. art. 3. Ang. in ver. exequutor.* Nav. *cap. 17. num. 68.* ubi notatur de negligentia exequutorum, & illorum, qui in ultimo vitae reservant facere legata, & non satisfaciunt in vita, notatur etiam negligentia Ordinariorum, quam summi Pontifices voluerunt supplere per Bullas Pii V. *Bul. sua 96. 97. & 98.* Pius IV. *Bul. 58.* ubi constituit, commissarios fabri-



æ D. Petri de Urbe ad supplendam negligentiam illorum quorum interesset, Clem. VII. *Bul. 8. qua incipit, Admonet,* & Paul. III. *Bul. 69. qua incipit, Cum diebus,* faciunt quæ dicit Boer. *de c. 41. n. 8.* ubi dicit, legata ad pias causas non debere differri, sed statim exequi, etiam si hæreditas non sit adita, faciunt, quæ dicit Guid. Pap. *q. 576. ex And. & Host.* in *c. suscepto. de foro compet.* ubi dicit, legata ad pias causas pro anniversariis mortilegiorum, & pro anima eorum cognitionem pertinere ad forum ecclesiasticum, & Inno. in *c. cum tibi, de test.* & Bald. in *Marg. Innoc. in ver. testator. quest. 2.* dicit, quod si quis reliquerit bona sua distribuenda pauperibus, si fideicommissarius est datus ab eo, ipse mittitur loco pauperum, aliàs Episcopus eos mittet. *Nav. conf. 3. de relig. dom.*

Ad decimum, vide *c. relatum, il 2. de test.* & ibi Covar.

Ad undecimum, ad primam partem respondetur affirmativè, per jura superius allegata, & hoc ampliatur, etiam si testator hoc prohibuisset, ne Episc. se in hoc intromitteret, quia ista clausula habetur pro non adjecta, *c. tua de test. Covar. ibidem, num. 6. & 8. decis. Rotæ. 868. in antiquis. Gom. in c. 2. §. statuto, num. 4. de consti. lib. 6. Io. de Selva tract. de benef. 1. p. 9. §. nu. 7. Conc. Trid. sess. 22. cap. 9. de resor.* & hoc etiam ante annum. Ratio est, quia tempus ad exequendum à jure diffinitur tempus sex mensium. *Covar. in c. nos quidem, num. 6.* quoad secundam, dicitur hoc pertinere ad Episcopum originis testatoris, & domicilii, & ad utrumque, *Sylvest. in ver. testamentum, 2. §. versi. quintum,* & si non

adsunt bona in loco originis, pertinet ad Episcopum domicilii, & addit. *Cap. Tolos. quest. 112.* dicit pertinere ad Episcopum illius loci, ubi sunt bona, quoad tertium, vide in *ver. hospitale, §. 3.* an Episcopus possit prorogare terminum indultum à lege hæredibus ad implendam voluntatem testatoris, vide *Abb. in conf. 40. col. 4. lib. 1. Feder. de Sen. conf. 124.* sed quando aliquis legaret, ut distribuantur aliqua pauperibus, nullo dato exequutore, tunc Episcopi sunt exequutores, & illi Episcopi, in quorum Diocesis sunt sita bona testamentum, *Addit. ad quest. 112. Cap. Tolos.*

Ad duodecimum, *Capyc. decis. 89.* quod sic in legato: dubium autem videtur in hæreditate, vide ibi per extensum, & *decis. 182. num. 14. & infra,* dicit quod si in testamento fuerit legatum aliquid obscurum, illud potest declarari coram duobus testibus. Ratio est, quia in declaratione non requiritur tanta solennitas, quanta in actu principali.

Ad decimum tertium respondetur affirmativè, *Vinc. de Fran. decis. 14. nu. 18.* tamen *Caputaq. decis. 106.* dicit quod non, quando esset ad rem immobilem, & præcisè loquendo *decis. 35. 9. p. 2.* dicit, quod potest Prælati repudiare legatum relictum Ecclesiæ absque sollemnitatibus requisitis in alienationibus rerum Ecclesiasticarum, per *Alex. in l. legatum, num. 2. & 3. de legat. 1. Nav. conf. 6. de jurejur.* ego tamen hocmitterem, quando legatum esset Ecclesiæ potius onerosum, quam utile.

Ad decimum quartum, vide *Bald. in l.*

P p 2

si ha-



LITERÆ QUINQUENNALES.

300

*si habitatio, §. 1. ff. de usufr. Vinc. de Anna. singul. 304.*

Ad decimum quintum, vide Covar. lib. 2. cap. 2. var. resolut. per totum.

LITERÆ QUINQUENNALES.

PRIMò, ista litera concessa à Principe non suffragantur, nec extenduntur ad creditores futuros.

Secundò, debitor, cui datum est quinquennium, debet cavere de debitis solvendis, Guid. Pap. *quest. 109. & quest. 97.* ubi dicit, his literis non impediri executionem sententiæ in Delphinatu, sed Covar. *pract. quest. c. 25. num. 7. ver. 13.* dicit impediri executionem etiam trium sententiarum conformium regulariter, *& lib. 2. cap. 1. num. 7. 8. & 9. var. Goin. resol. tract. ut sign. fol. 92 col. 1.* dicit non suffragari pensionario, nec impediri executionem trium sententiarum conformium, licet loquatur in *c. Odoardus.* de solut. sed potest dici idem de istis literis propter identitatem rationis de cessione bonorum. Vide Sylvest. in *ver. restitutio*, 7. §. 6. imò dolosus non est admittendus ad benef. *c. pervenit*, de solut. Caput. *dec. 275. p. 1.* & ita dicit fuisse iudicatum die 14. Martii, 1552.

Tertiò, debitor cui concessum est quinquennium ad solvendum suis creditoribus, decurso quinquennio, non potest bonis cedere, secundum communem opinionem, & gloss. *l. fin. in fin. C. qui bo. ced. pos. Novel. de iure proxim. §. 6. número 37. & 38. Afflict. in dec. 378.*

Quartò, ista litera quinquennales, non possunt concedi à Principe ultra quinquennium, utputa, per septennium, & si concederentur, non valerent nec quoad quinquennium, Paul. de Cast. in *l. quoties, in fine. C. de prec. Imperat. offer. Afflict. decis. 107. nu. 3.*

Quintò, ista litera, & quæ moratoriae dicuntur, non comprehendunt causam dotis, Vinc. de Franch. *de c. 219. n. 1. & 2.*

Sextò, creditorum major pars potest affecturare debitorem, concedendo ei moratoriam, & compellere alios ad hoc, *l. si C. qui bon. ced. pos. Nav. cons. 3. de pact.*

Septimò, an ista concurrentia habeat locum in solutione pensionis, & aliorum, vide Anna. *singul. 101.*

Octavò, quando cessio bonorum potest, & debet fieri, & an huic privilegio possit renunciari, vide Covar. *lib. 2. c. 1. var. resol.*

Nonò, is, qui sub spe cessionis bonorum contrahit, non admittitur ad cessionem in bonorum, Addit. ad Dyn. in *ca. peccatum, in ver. venta. de re. iur. lib. 6. facit c. illud, de cler. excom. celebr.*

Decimò, de literis quinquennialibus vide Bul. Clem. VII. *quest. 31. & incipit, Cum ex multorum*, ubi decernit causas cessionis, vel discussionis bonorum aut dilationis quinquennalis, beneficiu impetrantes, infra tres menses causas expedire tenentur, & de *cap. Odoardus*, vide Bul. 33. ejusdem, *que incipit, Cum nuper*, & de moratoriis, & dilationibus non concedendis per quoscunque iudices, vide Paul. III. in *Bul. quæ est 70. que incipit, Nota sicut.*

LITÆ